



Zur  
Gräfl. vom Hagen'schen  
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN  
gehörig.

N<sup>o</sup> 2328  
auf Ja 2400

— 00  
000  
000



IACOBO FA. 4  
BRICIO RO-  
STOCHIENSI,

Poëta Casario, Medicinæ  
Candidato,

PATRIO-ROSETO  
abaturiunt,

scribebamus

AMICI.



*Dr.  
M. Joanni  
Rosetio  
Poëta excellenti  
habui  
Joh. fabrius.*

ROSTOCHI  
litteris

CHRISTOPHORI REUSNERI,

∞ I C.



JACOBO FABRICIO

ROSTOCHIO abeunti

S. P.



*I* mibi turgerent meliori sanguine vena,  
Nec mentem opprimeret grande laboris  
onus:

*Certè animis magnis, & digni carminis arte,  
Cantarem laudes, docte Poëta, tuas.*

*Nunc mihi, quod cupio, Fortuna inimica negavit,  
Quodq; tibi ludum, hoc vult onus esse mihi.*

*Sed tamen ut restet nostri tibi pignus amoris,  
Musa dat officij hæc signa videnda sui.*

*Est malè comita quidem, verùm officiosa, studetq;  
Præstet ut auctori debita jura suo.*

*Optant felices tibi nostra propemptica gressus,  
Et cupiunt prore vela secunda tue.*

Nicolaus Willebrandus D.

---

*V*idisti Batavum fines, Leidamq; potentem:  
Leidam Mavortis, Palladis atq; domum.  
*Vidisti & Merulam, & præclaro nomine Doufam,  
Quiq; unus penè est omnia, Scaligerum.*

*Scili-*

Nunc postquam patriæ libasti limina terras,  
Natalemne juvat deseruisse focum?  
Scilicet ante lares patrios, Varniq, Lyceum  
Lipsia nunc; & mox Gallia dives erit.  
Illaq, Apollineâ celebrata Lutetia famâ:  
Atq, hinc Germanis sæpe petita viris.  
Quà vis, & quò vis, aut ire aut inde reverti:  
(F A B R I C I, exoptem quid magè?) prosper eas.

Martinus Braschius Logices  
Prof. publicus.

---

JACOBUS FABRICIUS

*Anagram.*

FUI CARUS, SIC ABI, IBO.

FABRICI Vatum prælustris stella, quid urges  
Discidium, & Musis me rapis ipse tuis?  
Dicam etenim, dum tu præsens largitus Amorem  
Musarum, Musis CARUS & ipse FUI;  
Nunc dubito prorsus mihi que solamina restent,  
Queis tuus, illarum & stet, maneatq, Favor;  
Nè tete & Musas, hunc ut servetis Amorem,  
Tristis Apollineo sollicitâro metro.  
Sic igitur Vates, Musis comitantibus, ipsam  
Lipsiam ABI, tecum hoc nomine ego IBO simul.

M. Albertus Wichgrevius  
Hamburgensis.

A 2

Dimio

**D**imidata mei cordis pars: corpora cuius  
 terna trias Musarum & Charitum excoluit,  
 incursum & diò irroravit Nectare, quemq;  
 blandidicum docuit psallere Apollo melos:  
 Ut potè sis radiò radiantia sidera Olympi  
 metiri, & Vatis nomine ovare dedit  
 Vrania astripotens: lassò at de corpore scavos  
 profubigas morbos Phyllirida auxiliò.  
 Quei queso potis es fraternò ab amore revulsus  
 rumpere Orestea vinculum amicicie?  
 Non tì noster amor, nec candida pectora, eunti  
 ex patrijs arvis, heic remoram injiciunt?  
 Auguro sed cassa hæc. Nam stat tibi pectore fixum  
 ire hinc, patrii ac linquere rura soli:  
 artibus excultum & linguis specere usq; popellum,  
 immutando ROSIS LILIA purpureis.  
 Ex animò opto illud, careant haut omine vota:  
 incolumis redeas, incolumisq; abeas.

M. Henricus Warenus Medi-  
 cinæ Candidatus.

---

**Q**uos illibata integritas, & copula sanctæ  
 Quos irrupta tenet doctæ JACOBE fidèi:  
 Quos nivei cinxit cordis penetralia candor,  
 Et vera ingenuus cultus amicitie:  
 Nunquam animos, quamvis disjungant corpora, jungunt  
 Non interstitia hos ulla remota locum.

Non

Non sum anceps igitur, quin extera regna FABRICI  
Perlustrans Roseti sis memor usq; Laris.  
Primo ob Amicorum catus, deinde HOSPIÆ ob ignes,  
Quam torrere tuum novimus hicce jecur.  
Ito Deo duce, Lipsiacos inviso sospes:  
Ast, patria ut celebris restituare, vide.

M. Paulus Rutingius.

---

**B**Althica quam cingit Varni Galathea fluentum  
Lugubres nuper promsit ab ore sonos.  
Quod patrio sensit te velle meare Roseto,  
Linquere & Aonijs numina sacra vadis.  
Causam at cum cernit, gemitus procul amovet omnes,  
Optat & inceptas faustiter ire vias.  
Hoc voveo ipse etiam, & quam gurgite divite inundat  
Castalis, Ardalio grata caterva Deo.  
I felix, nostriq; memor, dum funeris expers,  
Vivito, te memori sic & amore colam.

Gebhardus De Luhe  
Eques Megap.

---

**N**Vmine quo juncti, modd disjungemur eodem,  
Copulam ut una dies fecit, ita & solvit.  
Ictus amor primum fluitantis in Albidos urbe,  
Cepit at in roseo fortior esse solo.

A 3

Te

Te revocat Pleissana Charis, tandem aethere fausto  
Aëra quo flantem Gallia in orbe notes.

Invitus linquor. Fatorum aſt velle quia aſtat,  
Nec dubito fauſtis quin quoq; eas avibus.

Corde tuo ſtet vivus amor, dum vivis, ita & mî  
Nulla dies unquam oblivia cæca dabit.

Alexander à Bothmar  
Eques Saxo.

---

Siccine delinques patrium JACOBE Roſetum?  
Sic roſeam linques HOSPIAM amaſiolam?

Eligis & potius peregrinas viſere nymphas,  
Patria terra quàm deamare roſas.

Et video & doleo, ſed cum te dextra vocet SORS  
Applaudo, & mitto dividiã hanc animi.

Sidere abi dextro, clareſce POETA ſub oris  
Ignotis Letho major & Invidiã.

Ioannes à Schwerin Equ. Pom.

---

IRe & abire manet, mundi dum machina fixa eſt,  
Ire datur, ſapè aſt Fata redire negant.

Utumq; immineat tibi feliciffimè id opto,  
Sic potis es fauſtis ire redire vijs.

Vive memor noſtri, noſtro te pectore condam,  
Dum mea vitalis vexerit oſſa calor.

Henricus von der Wiſch W. F.  
Eques Holſatus.  
Omnes



---

**O**Mnes ingenue mortales indolis, alium  
In quibus ingenium, mens alta, & fortia corda,  
Abripit ut quedam fama laudisq; cupido:  
Sic quoq; te stimulis virtus trahit ardua, & ipsa,  
Mi **JACOBE**, mei cordis pars intima, Pallas,  
Vna agitat patrij te clara Lycea Roseti  
Linquere, & hinc varios hominum cognoscere mores  
Instimulat, dulcis patria & te pellit ab oris.  
Quod te igitur Pallas, quod te via ducit euntem  
Dic age, num celsas Pœnis grassantibus Alpes  
Appetis? Hei mallem jam consuetudine tecum  
Ingenioq; frui presens. te ast fata Deusq;  
Ire jubent, dumq; ire paras, pede pergito dextro,  
Sit comes & socius Deus Vnus in ordine trino:  
Hoc tibi postremum libuit scripsisse, VALETO.

Ioannes Nigerdinus Osnaburg.  
Westph. F.

---

**M**E miseram! externas properat meus ignis ad oras,  
Vsque aded incertas certus adire vias.  
Angustisq; animis augustum concipit orbem,  
Dimidioq; sui Gallica rura tenet,  
Imprudens. nam dimidio quum hoc pectore vivas  
Dimidioque mei vivam ego corde tuo;  
Quo vades dilecte anime, aut qua morte ego vivam!  
Te sine, dimidia: me sine, dimidius?

A 4

Lactes

---

**L** Aetea molliera nostras tua vena medullas,  
Meque tui urgebat blandus amoris amor:  
Ambrosiamque supra quiddam, Nectarque Deorum  
Sperabam, & strictis brachia brachiolis.  
Ecce facit cassas spes omneis Gallia, & una  
Curarum memet mergit in Eridano.  
Questusque urentis, lachrymasque propinat, amorem  
In medio faciens aere navifragum.  
O feritas inamœna, ubi nunc promissa fides est,  
Et praetextatae tessera amicitiae?  
Ne tamen infelix te infelici omine turbem,  
Me totam cujus dedidi in arbitrium,  
Vade bonis avibus, nostri non immemor, & quod  
Audiat invidia, vade redique meus.  
Optarè plura; at prohibent lachrymae importunae, &  
Lapsa profundo suspiria hiulca animo.  
Illa quæ tui dimidium puella est,  
H O S P I A.

**D** Vm patrijs alius defigens lumina terris  
Obscuras venatur opes, aut ocia sectans  
Nidorem ignavus fumi dilaudat aviti;  
Te juvat externos terrarum invisere tractus,  
Diversosque hominum mores, & pingua culta  
Divitis ingenij larum diffusa per orbem:  
Nempe altum te Numen agit, mentisque beatae  
Nobilioris opes, & dedignata latere  
Vera domi virtus, externis provida curis.  
Laudo animum JACOBE tuum, tantosq; paratus  
Et calidis votis, atque omine firmo sereno.

Sio

Sic avium regina poli templa ardua spectans  
Coelorum in cunis avidè suspirat amore ;  
Et voti festina sui durescere pennas  
Optat , & incurvos adolescere fortius unguis.  
Mox, ubi maturis firmata audacia votis ,  
Aërium vestigat iter, verumque parentem  
Iudicio anquirat Phoebi, coeloque propinquat  
Alius, & summis apicem sibi poscit in astris.  
Ecce tibi viridi se vestit terra colore ,  
Gramineos induta sinus, & prodiga florum,  
Luteolam profert Caliben, violisque maritatis  
Lilia, purpureo blandum vidente Hyacintho.  
Nec minus augustâ facie spectabilis aether  
Iucundum tibi spondet iter, longèque serenans  
Intervalla viae, dextro omine firmat iturum.  
Ipsa etiam tripliceis longum discreta per oras,  
Fluviorum nemorumq; ferax, se floribus ornat  
Gallia in adventum, viridanteisque explicat herbas,  
Diversisque jugis longo protenta Pyrene  
Prospectat, nutritque sacram per devia laurum.

Perge animi constans, adolescens perge: tuumque  
Nomen in occidui valvis inscribito mundi.  
Quae dona ingenij, quantas venaberis inde  
Virtutes, moresque & vulgo incognita dona!  
Turrihero cum vulu urbes, magnosque Quirites,  
Et facie augustâ referantem jura Senatum  
Indocilem cernes rectè mutare tenorem.  
Quo salienti **F A C O B E** tibi praecordia moris

A 5

Cum

Cum primum patulo foecunda Luteria coelo  
 Ostentabit avos, faciesque, & nomina regum:  
 Thespiadumque choros, immensâque arte celebres,  
 Immensâ Virtute viros, tersosque Poetas,  
 Carmine collato quos ipse hauri spernat Apollo.  
 Ipse mihi videor nostris procul avius oris  
 Culta Poëtarum tecum spaciari intra;  
 Purpureosque illis praesens decerpere flores,  
**BANDELLI** quos docta manus de littore Thusco  
 Transtulit, & cultis cumulatim credidit arvis,  
 Tuque etiam auratae cumulasti Aurate camoenae.  
 Tecum ego **BURDEGALAE** videor lustrare penates,  
 Ruraque **SCALIGERO** calcare habitata parente.  
**SCALIGERO** intantum cui Phoebus debet ephebus,  
 Inquantum Phoebus Divum tutela Poëtae.

Nec minus insigni salient tibi corda titillo,  
 Nativâ quoties cernes in imagine nymphas,  
 Ignea puniceis queis certant labra corollis,  
 Queis nitida explicito frons candidet aequore, Amoris  
 Exposita excubijs, cui nunquam praeferat ipsum  
 Eversorem Asiae vultum Paris: ore sereno  
 Promat in affectum faciem licet ipsa Dione,  
 Addens succineos per eburnea colla decores.  
 Illa videns, totis animi suspensus habenis,  
 Vix oculis **JACOBE** tuis, vix credo tibi ipsi  
 Crederes, tot formae dotes, Charitesque Deasque  
 Corpore habere uno, & sedem fixisse perennem.  
 Illa pedes quocunque vago feret avia cursu,

Te comi-

Te comitem, mentemque trahet, & judicem ocellum  
Ambrosijs epulis nunquam & toties satiatum.  
Interea subiens furivo numine, pectus  
HOSPITA tentabit peregrinis hospita in oris,  
Atque novum in veteri renovabit amore furorem:  
Iudicioque cato, promissa per oscula coget,  
Non tamen invium, strictim te dicere quantum  
Francidas anteciat formâ, vel Francides illam.  
Si formae in sterilem verget sententia laudem,  
Ingenij & Sophiae dotes sibi nomine in ipso  
Ingenitas genio coget spectare subacto.

Quid plura? ipse mihi narrabis cuncta reversus,  
Deducesque novâ spectatos arte Poetas,  
Gallica quos tellus (neque enim mi effoeta videtur,  
Ipse licet summo comitatus Apolline, Musas,  
SCALIGER, ingenio dubium majorne parente,  
An par, diversas secum deduxerit oras)  
Ingenio aequaleis Phoebos, Musisque celebrat.  
Ante alios per te (nisi me spes falsum sit) habebo,  
Quaestitos toties avidè, nusquamque repertos,  
Venanteis JACOBE canebis, quos GRATIVS olim  
Argutis numeris coelum super extulit ipsum.

O tum quantus ego, quot gratus OPIMA tonanti  
Pro reditu referam, quot habeat carmina Apollo,  
Quique venit juncto mihi semper APOLLINE  
CHRISTVS.

Tu verò Aoniae decus indelebile gentis,  
Cujus in arbitrium se mancipat ipse Apollo:  
Perge diu, doctoque tuum distendito pectus

Nectare

**N**escire doctrinae, patrijs quod redditus oris  
**O**mnia diluvio **IACOBE** scientiae inundes:  
**V**icturumque tibi parias in secula nomen,  
**N**omen in occidua quod pullulet usque corolla,  
**Q**uae mucosi expers senij, tua tempora circum  
**A**mbiat, & nitido famae scintillet honore:  
**D**onec sidereis stellarum cincta manipulis  
**S**plendida Minoae radiabunt signa coronae.

Samuel Dresenius  
Dithmarfus.

---

**Q**uis absque flentibus videre quit genis?  
**C**TCNI incolae amnis adluentis ostia  
**R**OSAE inclutae, quis absque planctibus dolet?  
nisi invidus, supinae & oscitantiae,  
poetici **S**MARAGDUM abire Spiritus,  
medullam, amorem, ocellulum, adque odoream  
trium Sororum, Apollinis, Deae ac Cyprae,  
patriam ab urbe, & inclutae **R**OSAE amnibus?  
**N**ovemstiles Deae haec ita an videbitis,  
feretis adque? sponda vos Vacunae habet,  
litatis adque Murceae pigrae-impigrae,  
& ille nunc decor **R**OSAE abibit hinc  
**F**ABRICIVS, reviset arva **L**IPSICAE,  
perambulabit an Lyceja **L**IPSIAE  
hic-ille **C**TCNVS albus almi Apollinis?  
hic albulus columbulus Dionoeus  
perambulabit an cubile **L**IPSICAE

Miner-

Minervae? amor ROSARVM, honor ROSARVM,  
cluétne LIPSIENSIVM, cluétne honor (amor  
earum? ô atra Fama, ô atra nuncia!

Amoene VARNÉ tu haec videbis & feres?  
itâ usque abire Vatem haves tuum? num itâ

relinquis usque Vatem, honore qui tuas  
peremni- durô ad Indica extulit vada

ROSAS? eo-usque gratiam hanc repensitas?

Corolla virginalis HOSPITA unica  
pudoris, anne ocellulum & columbulum  
tuum, qui amore prorsus interit tui,

canente quô tua ora BELGIA adspicit,

canente, quô puella GALLICA invidet

tibi, tuamq; formam adoptat unicam,

canente quô vadis veges in Indicis,

abire mittis, osculis nec impedis

iter, tui columbuli? qui inantè tî

ducentiès-trecentiès litaverit,

huicne centiès-ducentiès dares

trecentiès suävia immô milliès,

ut implicatus osculationibus

vis, apud ROSAS te amaret unicam,

maneret & paritae in urbis ostiis?

O inficetum, ô invenustum! Amasium

puella stoccipendis usque sic tuum?

Sed oscine hunc secundô abire ego auguror,

quâque pace, casta virginum HOSPITA

adoreâ. Hant enim esse perfidum reor

venustulae puellae amorem in optimum

Amas

*amafium. Petis ergo floridam  
 honore famam amasi in exteris locis  
 vegere rosam ab invidis aculeis  
 ROSARVM, & hinc moraris ejus haüt iter.  
 Agis fabrè optuma ò puellula, hà fabrè  
 agis, CYCNIQVE candidi ROSAE incolae,  
 Novemfilesque factitatis affabrè  
 Deae, quòd haüt moramini Poetae iter,  
 ut, educavit inclutae quem odor ROSAE,  
 peremni-durò honore LILIVM evebat.  
 Abi ergo FAX poëtici palatii  
 FACOBE, OCELLE NOSTER VNICE, oscine  
 secundò, honore maëtus usque perpetim,  
 Vege - peremna, ut ilis intuma invidis  
 premantur; i, diurna & omnibus tuis  
 honori, & invidis dolori. At ò mei  
 memor mane, tui usque, spiritus mea  
 quòad gubernet ossa, non ero immemor.  
 VALE - VALE jàm Olorum acuta carmina  
 sonant: Novemfiles Deae VALE - VALE  
 canunt, & HOSPIA illa gemma corculi  
 tui VALE - usque lacrumis VALE - usque ait  
 amice - melculille, cor - amabile,  
 VALE - VALE, ora lacrumis replens ait,  
 & impedita lingua lacrumis nequit  
 magis profari. Ohe & jàm Iambici mei,  
 abivit hinc, sät est, meus - FABRICIVS.*

LVSVS



# LUSUS ANIMATA- TΩΔΗΣ.

SEX flent, SEX lugēt NOVEM abire et linquere semet,  
SEX gaudent, plaudunt semet adire NOVEM.

Gratantur NOVEM adire NOVEM, NOVEM ab-  
ire queruntur (NOVEM.

usque NOVEM. Ergo NOVEM linquitis usque  
Sic est, ut video, SEX à SENIS NOVEM adoptans  
subtrahere, & SENIS addere sint ut idem.

Ergo NOVENARI, NUMERI SENARII, amore  
ut flagratis, honorem ejus ita evēbite.

Namque NOVENARI mens est SENARII honorem  
tollere, quod lustra SENA NOVEM & speciat.

Ioannes Burmeisterus è Lune-  
burgensibus Saxo.

---

**M**ente eadem & studiō si junctos distrahatur  
Sors, nisi haut potē quin cordolium hoc cieat.

Cordolium cieat, quod si distractio, quidni

Te FABRICI Ego tam lugeam abire citò hinc &  
FABRICI Ardalidum flos, FABRICI urbis ocelle  
patritae, & Medici vivide honos populi?

Lugeo; at haut solus; lugent quiscumq; metallò  
indulsi meliore Japetionides

effigiatam animam; luget VENERILLA tua, omniq;  
injicere adnisi in remoram adgreditur.

Non potis est. Certum tibi abire, ut naviter oris  
sublevet Eois fama te & Hesperijs.

Bel-

*Bellè habet. ito ergo CHRISTO duce & auspice.  
in aurem*

*Verùm ego quod dicam, heus, unicū adhuc habeo.  
Me comite iſti olim: comitem haur̄ jam sperne: ne-  
gat FOR S*

*corpore tecum ire hinc, tecum abeo ergo animo.  
Hunc voveo comitem, tibi tu hunc adijunge, & Amori  
per te umquam nostro haur̄ obstrepat INVIDIA.*

Joannes Paulli Wism.  
Philiater.

---

*Siccine patritum linquis FACOBE ROSETVM?  
Siccine amasiola deseris ora tua?*

*Qua te cura coquit cupias quòd odore ROSARVM  
Non uti magis? an LILIA odora petis?*

*Sic ego conijcio: vis permutare ROSARVM  
LILII odore decus. Faustum iter ergo precor.*

*Angelicis turmis comitatus abito ROSETO,  
Et ceptam incolumis continuato viam.*

*Gallia te digno venientem exornet honore,  
Posteritasq; ejus te, & tua scripta colat.*

*Interea tamen esto mei memor hinc licet absis,  
Nam cessabo tui non memor esse. VALE.*

Hieronimus Starck Lunæb.

---

*Qvorsum Pieridum decor is præclare FABRICI,  
Ut linquas Rosei rura Paterna soli?*

Eno

Euge mane. Ver blandulum adest, rosa Balibica odorem  
spargere jam captat, HOSPITA ferta parat,  
ut crines ornet, redimitos Daphnide, Myrtho  
quò fiat Vates mysta Dea Cypria;  
extera sed potius optas loca visere. namq;  
non poterit clarum claudier ingenium.  
Ergo bonis avibus proficiscere, ducat euntem  
Turba novena, tui sum memor, esto mei.

Thomas Scharfchovius  
Lunæb.

---

Squallida cedit hyems, nix solvitur, atq; liquescunt  
Flumina, quæ gelido frigore constiterant:  
Jam sub fronde latens iterat Philomela sonores,  
Quam reliquæ unanimi voce sequuntur aves:  
Jam pecus inclusum stabulis petit arva boâtu,  
Incipit & patulo luxuriare solo:  
Jam pastor viridi captat sub fronde quietem,  
Psallit & argutis carmen agreste modis.  
Omnia sic rident, sic formosissimus annus,  
Vnâ homines hilarat, unâ hilaratq; pecus.  
At mihi mens vario curarum fluctuat æstu,  
Luctus vertuntur gaudia in insolitos,  
Cum JACOBE pares patriâ discedere ab urbe,  
Flumine quam celebrer præpete VARNVS adit:  
Te mihi junxit amor, tu jucundissima vita  
Portio, & unum illud corclum es amicicia.

B

Ergo

Ergo cedo causam, quam mi cruciatus acervat,  
Dum procul à patriâ dissitâ regna peris.  
Poscit id omniscij velle inviolabile Fati,  
Poscit id Aonij turma novena chori.  
I ergo, i patriæ jubar alterum, honore triumphans  
Laureæ, abi sacro Numine tectus, abi.  
Salvus ut accedas viridantia culmina montis,  
Quo plenè Coi dogmata fœta bibis.  
Hec **F A C O B E** tibi grate vestigia mentis  
Dicta cape, & nostri, dum licet, esto memor.

Matthias Hoesesch  
Wismariensis.

---

**H**OC virum summè juvenem venustat,  
Non domi semper latuisse, gentes  
Exteræ sed quicquid agant acutè  
Addidicisse.  
Nec minor laus indè venit, tenere  
(Haud sequi tutum licet id sit omnem)  
Et peregrinum hoc idioma, purè  
Posse referre.  
Ergo conatus tuus hic **F A B R I C I**  
Est pius, laudemq; meretur omnes  
Nos apud : felix tibi sit precamur  
Vtilis atq;.

I, probè

I, probè noscas, benè scisciteris  
GALLIÆ mores: patriamq; carans  
Fac brevi sospes repetas. Iter jam  
Sit tibi saluum.

Ioannes Quilow  
Anclam.

**N**on uno veluti die, nec horâ,  
In campo aëreo vicens cacumen  
Ingens Pyramis erigit sub auras:  
Sed summo studio, labore multo  
Quando educta semel, semelq; fixa est,  
Hinc immota manet, refertq; vitam  
Quicquid gesseris optumè per omnem,  
Longi & secula longa durat ævi:  
Vno sic quoq; nec die, nec horâ:  
Virtutis, Sapientiæq; fama  
Nobis queritur; at reperta durat,  
Et seros manet usq; & usq; in annos  
Inconcussa, potens, celebris, ævi  
Nulla obliviam sentiens futuri.

Hanc FABRICIVS arduam parare  
Nullo non studio vigil laborat;  
Vllam nec requiem capit, domusq;  
Mutat limina chariora sæpè,  
Donec, quod petit, auferat ΒεαΒεον.  
Pergat: jam vigili manu cacumen

Prensat, nominis & sui ampliora  
Mox FABRICIVS eriget trophaea,

Petrus Boethius Vi-  
densis Hof.

---

**E**ST decus externi mores cognoscere mundi,  
Nosse peregrini daedala corda viri.  
Immo decus summos illic audisse Lycei  
Doctores, summos nomine, laude, fide.  
Ergo procul patria quoque tu discedere terra,  
Et varias mundi vis peragrare plagas:  
Ne similis dicare illis, latitasse camino  
Queis tepido, ussisse & torrida poma, placet:  
Queis domus est mundus: patrias queis relinquere sedes  
Est grave, queisque placent ocia tarda nimis.  
Sed mores animosque hominum, positusque locorum,  
Quasque habeat celebres qualibet ora viros,  
Ut JACOBE, queas pernoscere, multa videre,  
Quae tibi post tandem commoda plura ferant.  
Quae tibi jam bona verba igitur, quae vota JACOBE  
Proloquar, à patrijs nunc abiture focis.  
Nam socialis amor, quo primis junctus ab annis  
Sum tibi, jam specimen poscit amicitiae.  
Scilicet ingenijs nostris concordia juncta est,  
Cum seruet studij foedera quisque sui:  
Nam tu Pieridum studio, velut ipse, teneris,  
Artis & ingenuae cultor uterque sumus:

Manibus

Vi-  
lf.  
—  
:  
des  
:  
OBE  
nibus

Moenibus inq<sup>3</sup> unis cum nos genuere parentes,  
Fare etiam patriam propter amandus eris.  
Hæc commilitij & patriæ sunt vincla tuenda,  
Quæ maneant semper illabefacta, precor.  
Non igitur jam nulla datur mihi causa doloris,  
JACOBE, à nobis dum meditaris iter.  
Sed virtutis amor cum te trahat ire per oras  
Externas, Medicorum atq<sup>3</sup> theatra sequi:  
Nil est quod doleam, nil me dolor anxius urget,  
Quod procul aspectu cogar abesse tuo:  
Nam licet ex oculis chari rapiaris amici,  
Attamen ex animo non rapiere meo.  
Sis felix, valeasq<sup>3</sup> diu, DEVS atq<sup>3</sup> secundet,  
Illius auspicio quod meditaris, iter:  
Et peragenda locis peregrinis perfice felix,  
Cum meta attingeris signa notata tuæ.  
Vive memor patriæ, memor & quoq<sup>3</sup> vivito nostri:  
Fac noster longo tempore duret amor.  
Atq<sup>3</sup>, cui bibitur felicius Aonijs fons,  
Utiliter studium quod tibi cedit, ama:  
Sacraq<sup>3</sup> Musarum merito cole: quodq<sup>3</sup> legamus  
Huc aliquid curæ mitte recentis opus.  
Sic celebrer, sic magnus eris, sic debita reddet  
Cultori egregio musa benigna suo.  
Sic te felicem dicet pia turba Lycei,  
Optabunt artes & sibi quisq<sup>3</sup> tuas.  
Quæstum ingenio qui nulla abolere vetustas  
Nomen, & ingenio stat sine morte decus.

Matthæus Bacmeisterus R.

---

**C**ompertum est, quod sit prorsus deserta futura  
Vita hominum, quam non firmat amicitia.  
Nam veluti viridi decorantur gramine campi:  
Arboribus sylva & floribus hortus olet:  
Sic nostram vitam perfectam reddit & ornat  
Cum doctis iunctum fœdus amicitia.  
Hec ego perpendens cum fidos quærerem amicos,  
Optavi in primis intimus esse tibi.  
Gaudeo. namq; meis votis respondit avaris  
Eventus, cum tî iunctus amore fui.  
Iam sunt heu tristem in mea gaudia versa dolorem,  
Abripiunt etenim te mihi Fata statim.  
Non equidem diuturna fuit conjunctio nostra,  
Firma tamen fuit hæc, firma eademq; manet.  
Corporibus quanquam nunc disjungamur, & almam  
Tu linquas patriam, meq; tuosq; simul.  
Mente tamen præsens aderis mihi tempus in omne,  
Et potero nunquam non memor esse tui.  
Tu modò (non equidẽ dubito) te haud despice amãtem,  
Firmiter aũt serva fœdus amicitia.  
Sic precor ut fausto, quo te pia numina ducent,  
Sidere jam captum conficiatur iter.  
Vive memor nostri optato dum sine potiris,  
Corpre animoq; valens ito redito. VALE.

Hieronimus Rhueden  
Lunæburgensis.

Mi Iacobe



---

**M**I Jacobe haud es nunc hinc incertus abire,  
Ito ergo faustis, ito redito avibus.  
Manè Deum sanctis implora vocibus, ille  
Te grege ut alifero ducat ubique suo.  
Quod si praestiteris tutus transibis, & hilum  
Non Mortæ aut Martis fulmina seva oberint.  
Et tandem hosce meos quæso ne spernito versus,  
Sic dabitur faustis ire redire avibus.

Bernhardus Bonhorstius Parchim.

---

**D**Ulm subiisti Athenas,  
Dulcis amice, nostras,  
Pieridum, JACOBE  
inclute, gloriosum  
& decus, & corona ;  
semper amœna vita  
nos fuit inter usq̃;  
ipsa etjam palæstra  
se facie suãvi,  
fronte tulitq̃; lætã ;  
cui placuere mores,  
ingeniumq̃; magnum,  
solliciti dolent, te  
nunc abeunte, amici ;  
ah mancas, JACOBE,

ah ma-

ah maneat, queruntur.  
Haud aliter Lyceum  
ingeminat querelas.  
Quænam iteris fatere,  
causa? fatebor, inquis:  
nempè videbo Athenas,  
ingenijs, per orbem  
quæ innotuere, claris;  
oppida, quæq; in æthra  
nuncia fama tollit:  
post iter absolutum,  
(fata finant) revertar:  
interea suaves  
rite valete amici.  
Ergo avibus secundis  
vade, iter atq; cæptum  
perfice: post redito  
faustus: abi JACOBE.

*Paullus Aulander*  
*Bolesl. Silesius.*

DEO GLORIA.



44/4

AB 44 <sup>M</sup> / K,4

ULB Halle 3  
002 680 319  






